

- Anselmum certe prefers et reddis aperte.
 20 Eius forma, venus in te, visusque serenus;
 Tu maiestatem^a geris^b illius et probitatem;
 Tuque parentela sua, sanguis, imago, loquela,
 Pontificis totum genus auges iure nepotum,
 Quodque requiramus non est, si te videamus.
 25 Nil igitur restat, nisi quod ratio mihi præstat:
 Amplius ornabo te laudibus et cumulabo,
 Te contemplabor, te suscipiam, venerabor
 Teque fovebo, colam faciemque tuam mihi solam
 Unanimem gratam dabo servitiis oneratam^c;
 30 Littera cantabit mea te semperque sonabit;
 Non mea dicetur, que non te carta loquetur.
 Ergo vicem redhibe; quam si^d redhibes, mihi scribe!
 Præsta quod presto, memorisque tui memor esto!
 Nec de me dubites, nichil a me querere vites!
 35 Nequid vis pro te faciam, tutum facio te.
 Ut vis, utere me, securus ad omnia de me!
 Præcipe quod fieri possit deceatque iuberi —
 Et tibi præstabo. Dic tantum — nulla negabo,
 Quæviscunque volam; quæ nolis, hæc quoque nolum.
 40 Par et idem velle sit^e nobis, o mihi belle!
 Sic pepigi tecum, pepigisti tu quoque mecum,
 Nos quod amaremus, coleremus, diligeremus.
 Federa servabo, neque pacta prior violabo.
 Sique tui memoris^f memor es, memor esto tenoris!
 45 Cur modo Conredus¹ vult nostrum rumpere fædus,
 Fædus honorandi versa vice nos et amandi
 Cur frustra lacerat? cur nos divellere sperat?
 Cur per livorem nostrum conturbat amorem?
 Quid sibi vult? quid^g habet? cur invidia male tabet?
 50 Desipit: invictus manet^h inter nos amor ictus;
 Omnem pone metum! super hoc te reddo quietum.
 Si nos divideret, dilectio nulla valeret,
 Nulla fides esset; quapropter eum rogo, cesset!
 Quem, nisi cessabit, gravius mea Musa notabit.
 55 Parco sibi, verbis in te si parcat acerbis;
 Nam meus hostis erit, qui te mihi tollere querit.
 Vale! Explicitⁱ.

a) 'mag.' C. b) 'generis', aber Punkte unter 'ne'. L. c) 'onerata' C. Hier endet dies Gedicht in T und folgt XVIII. d) Fehlt L.
 e) 'si' L. f) 'Sicque mem.' L. g) Verb. aus 'quod' C. h) Verb. aus 'manent' C. i) Fehlt C, wo Hildeberts Brief (III, XV. ed. Beaugendre) an Raginald folgt.

1) Vermuthlich der oben S. 539, Anm. 3 erwähnte.